

delectabile vel utile proprium; nulla autem apparet repugnantia, cur non posset habere Angelus in statu puræ naturæ talem defectum inconsiderationis, sicut modo habet supposita notitia legis supernaturalis. Ac denique, quia Angelus licet modo procedat ex motivo legis supernaturalis, seu contra illam, tamen vere, et proprie peccat contra ipsam legem naturalem, si quidem objectum circa quod peccat est prohibitum lege naturali, et participat malitiam ejus: ergo signum est Angelum ex natura sua, et intra limites puræ naturæ non esse omnino determinatum ad legem regulamque naturalem: sic enim non posset vere, et proprie nunc peccare contra illam.

XXVII. Ad primum respondetur Angelum pro illo statu non habere libertatem contrarietatis ad peccandum contra illum finem naturalem sic solitarie sumptum, licet semper habeat ab intrinseco libertatem ad peccandum contra eundem finem, non solitarie, et seorsum acceptum in puro ordine naturali, sed ut conjunctum, seu subjectum fini supernaturali, ut explicatum est. Remanet tamen in Angelo libertas quoad exercitium, et respectu hujus, vel illius operationis circa bonum: nec enim necesse est quod libertas ut sit libertas, sit defectuosa, et circa malum pro omni statu, et consideratione. Et cum instatur, quod voluntas non necessitatur quoad specificationem amare omnia bona quæ præcipiuntur lege naturali, præsertim quæ versantur erga alterum, respondetur ex supra dictis, non necessitari per se, et ex meritis objecti, sed ex modo quo Angelus natus est apprehendere, et proponere ea quæ ad naturalem ordinem spectant, quamdiu non subduntur superiori regulæ, sed juxta naturalem modum ab Angelo attinguntur, et dictamen formatur: sic enim quæcumque sub præcepto

naturali cadunt, cum regulentur per ordinem ad finem naturalem, et ex principiis naturalibus deducantur, in ipsomet fine ab Angelo attinguntur, et eadem immobilitate fertur dictamen Angeli, et voluntas circa illa, atque circa ipsum finem, et circa principia universalis, quia iste est modus connaturalis cognoscendi, et volendi in Angelo. Unde ex vi hujus coarctatur ad non volendum aliquid oppositum legi naturali, nisi mutet modum tendendi in legem ex subjectione ad legem superiorem quam possunt recusare, et ex consequenti etiam naturali legi non subdi, quia tunc non ex vi ipsius naturalis luminis tendit in talem legem, sed ex ordine ad finem superiorem, ad cujus amorem non necessitatur quoad specificationem, nec ex naturali determinatione, et ordinatione.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur esse circa hoc diversas sententias, etiam inter Thomistas. Nam aliqui sentiunt posse peccare Angelum in pura natura per violationem præcepti positivi quod posset Deus imponere illi in ordine ad finem naturalem, licet non per violationem præceptorum, quæ sunt de jure naturæ. Ita Bagnez, et Nazarius super hanc quæstionem LXIII, art. 1, et probabile reputat Ledesma de perfectione Dei, qu. VI, art. VII, in subarticulo secundo, et idem attribuitur Zumel super hanc articulum citatum. Alii vero discipuli D. Thomæ absolute, et sine limitatione docent in ordine ad finem naturalem non posse peccare primo, et immediate, non distinguentes de his quæ jubentur per præceptum positivum, vel jure naturæ, sicut sentiunt auctores, quos supra citavimus pro nostra sententia. Et in specie quod etiam posito præcepto positivo de re mere naturali adhuc Angelus non possit peccare directe,

et per se primo contra motivum mere naturale eundem tale præceptum positivum defendunt Navarrette hic controversia LXXIX, §. I, et Carmelitani Salmanticenses tract. VII de Angelis, disput. IX, dub. II, num. XXXV et LI. Et videtur magis propendere D. Thomam in hanc sententiam, quia nusquam distinxit inter præcepta naturalia, et positiva quantum ad hoc quod non possit peccare Angelus contra prima, bene tamen contra secunda, sed absolute docuit non posse peccare ex motivo mere naturali, et solum admisit posse peccare ex motivo relato ad finem supernaturalem, ut in locis supra citatis videri potest.

XXIX. Quare dicendum est, quod si Angelus manet in pura natura, præceptum quodcumque ei ponatur positivum, debet esse circa aliquam rem ordinis naturalis: nam si est circa rem ordinis supernaturalis, jam mutatur casus, et non remanet Angelus in pura natura. Si ergo ponatur præceptum aliquod positivum, oportet quod sit ordinatum ad finem naturalem, quia cum sit præceptum a Deo, debet esse de materia bona, et ordinata in bonum finem, et consequenter sub illo fine naturali contentum, id est, sub Deo auctore naturali, et in ordine ad ipsum, sed in ipsa cognitione, et dictamine quo Deus proponitur ut finis naturalis; et sic amatur, et acceptatur, hoc ipso acceptantur omnia præcepta sub tali fine ordinabilia, quia ille finis amatur super omnia: ergo Angelus sic diligens illum finem, virtualiter omnia præcepta sub tali fine ordinabilia includit, unde non potest aliquod ex illis præceptis non admittere, nisi omitat amorem illius finis naturalis super omnia, quod est non habere illum pro fine, atque adeo non immobiliter adhærere principio illi universali præ-

tico, secundum quod diligitur Deus naturalis auctor super omnia. Quare ego nullam video differentiam inter præcepta naturalia, et positiva in hac parte, quia præcepta naturalia quæ versantur circa media, seu circa ea quæ sunt ad finem acceptantur ab Angelo in ipso fine, in quo media attingit ordinata ad talem finem, unde non potest stare, quod diligatur ille finis super omnia, et non acceptantur media ad talem finem ordinata, et consequenter ipsa ordinatio seu præcepta naturalia, quibus talia media ad illum finem ordinantur. Sed similiter hoc ipso quod diligitur ille finis super omnia in genere naturæ, virtualiter acceptatur quidquid præcipi potest positive in ordine ad eundem finem, quia si præcepto positivo renueret subjici, hoc ipso non diligeret Deum super omnia: ergo ex suppositione quod finis est acceptatus tanta comprehensione, et immobilitate, ut in ipso acceptantur omnia media requisita, et quidquid ad talem finem ordinari stricte, et de necessitate potest, quia diligitur super omnia: ergo nisi retrocedat Angelus in amore illius finis, et principii universalis practici, non potest illa præcepta abjicere, sicut nec naturalia, quia in hoc nulla est differentia ex suppositione quod Angelus in ipsa cognitione, et acceptatione finis, cognoscit, et acceptat per comprehensionem, et simplicem actum immobilem omnia media quæ se habent ut conclusiones connexæ fini.

XXX. Quod si dicas: Quia potest Angelus in ipso principio non acceptare illam legem positivam, et non se illi subjicere ex amore excellentiæ propriæ, sicut renuit se subjicere fini supernaturali, et ex consequenti peccare contra regulam et finem naturalem, nec se illi subjicere; non autem ex suppositione

amoris ipsius finis procedendo, quia hoc supposito non potest retrocedere, et abjicere præcepta quæ in ordine ad ipsum ponuntur, sicut acceptato fine supernaturali, et diligendo illum super omnia, non potest Angelus renuere præcepta positiva quæ circa talem finem sibi imponantur: sed tamen potest stare quod ab initio quando Angelus debuit acceptare legem naturalem, et ea quæ ad ipsam ordinabantur, renueret aliquod præceptum positivum sibi impositum propter excellentiam propriam, unde resultaret non acceptare ex consequenti legem naturalem; et in summa, quod procederet Angelus circa illud præceptum positivum, sicut circa præceptum de fine supernaturali.

Respondetur idem argumentum prorsus fieri posse de quolibet præcepto naturali contento sub fine naturali, v. g. diligendo altero Angelo, et non invidendo illi dona naturalia, et de similibus, quod posset Angelus renuere tale præceptum circa illam materiam, et converti ad propriam excellentiam ut ad finem, et inde ex consequenti abjicere a se legem naturalem. Quod si hoc non admittitur, quia tale præceptum naturale continetur sub fine illo ordinis naturalis, nec potest ferri Angelus in medium aliquod, nisi ex aliquo fine, sicut nec conclusiones, nisi in aliquibus principiis; idem dicemus de præcepto positivo superaddito, quia etiam tale præceptum continetur sub illo fine, cum ordinetur ad illum, quia versatur circa aliquod medium: nam finis ex præcepto naturali diligitur, et finis ille diligitur super omnia; atque adeo omnia illa præcepta manent virtualiter ibi acceptata, et volita. Nec potest excellentiam propriam accipere tamquam finem ad quem convertatur subtrahendo illam a subjectione finis naturalis, cui

tamquam aliquid inferius naturaliter subjicitur, nisi supponendo aliquem defectum ab aliquo fine, ratione cujus accipiat propriam excellentiam semper accipere ut contentam sub fine. Si autem accipit illum ut finem, et non ut medium contentum sub fine, hoc ipso deficit ab aliquo fine, sub quo continetur. Non a naturali immediate, quia ex illo incipit actum suum: ergo a supernaturali, etsi iste non datur, non deficit. Et sic oportet quod incipiat hoc peccatum Angeli ab aliquo defectu circa finem, et circa modum connaturalem operandi. Qui quidem defectus optime cernitur quando intervenit ordo ad finem supernaturalem cui Angelus renuit se subjicere: tunc enim sub tali defectu a tali fine deficit a connaturali, et proprio modo operandi, ut supra diximus, potestque accipere propriam excellentiam ut finem ad quem convertatur, quia jam finis naturalis, qui est Deus ut auctor naturæ non plene, et perfecte attingitur, hoc ipso quod renuit Angelus se subjicere fini supernaturali. Non tamen hoc contingit si renuat se subjicere præcepto positivo circa aliquod medium subordinatum fini naturali, quia cum Angelus nunquam operetur nisi incipiendo a principiis, et a fine (sive per subjectionem, sive per aversionem) propter perfectissimum modum intellectualem quem habet in operando; ideo non potest renuere hoc præceptum particulare quod de se est contentum sub amore finis ultimi naturalis, nisi incipiat hanc renuentiam ab ipso fine. Et cum supponatur non esse alius finis quam naturalis, et circa illum est necessitatus quoad specificationem, quia bonum naturæ est, non potest intra limites puræ naturæ procedens, et modo connaturali, id est, incipiendo a principiis ad conclusiones, et a

fine ad media renuere subjectionem illam ad tale præceptum positivum magis, quam ad alia præcepta naturalia, quæ versantur circa media contenta sub illo fine naturali.

Ad secundam confirmationem argumenti, respondetur quod, ut docet S. Thomas 1-2, qu. cix, art. iii, homo in statu naturæ integræ (et idem est de Angelo ex sua natura considerato, ut ibi se refert ad locum primæ partis ubi id tractavit, scilicet qu. lxx, art. v) ad diligendum Deum super omnia non indiget dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, licet indigeat auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sic ergo dicimus quod Angelus ad observandam legem naturalem indiget auxilio movente, et concursu generali, qui dicitur gratia generali modo, non autem indiget aliquo dono gratuito superaddito naturalibus bonis. Unde non tollitur quod sit impeccabilis ex vi illius status, et in ordine ad illum finem tantum, licet auxilio generali indigerit sicut ad omnia alia opera, et sicut indigent beati ad amandum Deum.

Ad secundam difficultatem respondetur ex dictis negando consequentiam.

XXXI. Ad primam probationem dicitur, quod Angelus non redditur potens ex elevatione ad supernaturalia ad peccandum, sed per se redditur potens ad supernaturalia operandum, quod vero inde sumpsit occasionem Angelus ad peccandum, hoc est ex defectu suo, non ex operatione Dei, qui ad superius bonum elevabat Angelum, licet ipse beneficio Dei abusus sit nolens se tanto bono, et superiori legi subjicere. Non est autem inconueniens, quod ex beneficio principali Dei, sumatur occasio majoris mali, sicut incarnatio Verbi fuit summum Dei beneficium,

et tamen ex eo occasionatum est peccatum maximum eorum qui noluerunt ipsum recipere, imo et ipsum occiderunt. Unde dicebat Dominus suis: *Si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Joan xv: et apostolus dicebat Rom. vii: *Occasionem accepta peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum erat*. Similiter ergo in Angelo ante elevationem ad supernaturalia potentia erat ad peccandum, et deficientium si elevaretur, et sibi proponeretur lex superior, non autem ad peccandum si intra naturalem legem maneret, et in modo connaturali operandi. Unde per elevationem non accepit potestatem peccandi, nec libertas immutata est, sed materia majoris boni, et beneficium majus datum est, unde occasionem accepit Angelus peccandi, non ex potestate nova ad peccandum data, sed occasione accepta. Unde Angelus non fit Deo auctore deterior, sed melior factus, occasionem sumit ex se deteriorationis. Et cum dicitur, quod ante non habebat potentiam ad peccandum, et modo habet, respondetur quod etiam ante habebat potentiam ad peccandum, non quidem intra naturalem ordinem manendo, sed habebat potentiam ut cum ordine ad supernaturalia deficere posset. Unde elevatione posita, impleta est conditio, et occasio ab ipso accepta deficienti. Et sic patet ad secundum quomodo non mutatur intrinsece libertas, sed solum extrinsece ponitur occasio circa quam possit deficere: jam enim ante habebat potestatem ad deficientium posita hac occasione.

XXXII. Ad tertiam respondetur, quod si Angelus esset impeccabilis ab intrinseco absolute, et simpliciter, nullo motivo posset ad peccan-

dum moveri, sed Angelus ex se, et ab intrinseco est peccabilis, si ponatur in eo ordo ad supernaturalia; est autem indefectibilis si talis ordo non detur, et alias operetur juxta suum modum connaturalem, ut diximus. Et quando dicitur quod modo peccant, etiam ex motivo mere naturali, ut quia cruciantur, et non solum quia amiserunt beatitudinem, dicimus quod non possunt ex illo motivo naturali peccare, nisi prout supponit, et oritur ex alio priori motivo, quo ipsi noluerunt subjici regulæ supernaturali, seu ordinari per eam, sed ea relicta converti ad propriam excellentiam, qua deordinatione supposita, etiam in lege naturali deordinati sunt, et potuerunt contra illam peccare, ut diximus; sed incipiendo semper, et utendo illa prima abusione, et non subjectione ad regulam supernaturalem ut motivo, quia superbia est præcipuum motivum eorum, quod virtualiter operatur, et manet in aliis particularibus motivis, quia Angeli semper operantur incipiendo ab universalibus principiis, et a fine: præterquam quod cruciatus quem nunc habent, ordinem, et connexionem habet cum fine supernaturali, sicut et privatio beatitudinis, quia utrumque ex peccato contra legem supernaturalem emanavit. Et similiter invidentia de bonis Angelis est ex eo quod vident illos excellentissimis donis supernaturalibus cumulatatos, quibus ipsi carent, quod totum ordinem dicit ad supernaturalia; et sic dicit D. Thomas supra quæst. LX, art. IV ad III, quod: «Oderunt bonos Angelos in quantum diversificantur penes justitiam, et injustitiam.» Et art. V ad V dicit quod: «Odio habent Deum in quantum facit in eis particulares effectus, qui eorum voluntati contrariantur.» Quare non est necesse quod demones moveantur semper ex lege su-

pernaturali, sed sufficit quod contra eam, vel ex aliquo dicente ordinem ad illam, vel supponente illam ut dictum est.

XXXIII. Ad id quod dicitur de motivis ad peccandum, quod potuerunt dari in statu puræ naturæ, licet non tot, sicut in statu damnationis, dicimus non regulari impeccabilitatem Angeli in illo statu penes paucitatem, vel pluralitatem motivorum, sed propter modum tunc operandi, ex quo non dabatur locus formandi dictamen defectuosum quamdiu operabatur connaturali modo suo, id est, procedendo comprehensive, et tam immobiliter in principiis quam in conclusionibus, in fine quam in mediis, ut amplius infra disp. XXIV, art. I dicitur: sic enim cum non proponerentur illi nisi finis naturalis ad quem ex natura sua determinatus, et immobilitatus est, et sub illo continebantur ea quæ poterat pro fine ultimo perverse habere, scilicet excellentia propria, necesse erat sibi proponi alium finem cui ea non subiceret, ut posset ab alicujus finis aversione incipiendo operari defectuose, et ex his quæ sub fine naturali continebantur finem sibi ultimum constituere. Et cum instatur, quod non repugnat etiam in statu naturali dari defectum aliquem considerationis, ratione cujus possit proponi ut conveniens bonum delectabile, seu proprium bonum, relicto bono honesto, respondetur non repugnare defectu considerationis, et quod bonum proprium anteponatur, dummodo iste defectus considerationis detur incipiendo ab aliquo fine a quo se averfat, vel quem sequatur, quia proprius, et connaturalis modus operandi in Angelo est incipiendo a fine, sicut in intellectu incipiendo a principiis, eo quod intellectualis naturæ est perfectæ, et comprehensivæ in suo modo proce-

dere; et sic semper incipit a principiis. Cum autem in statu naturali solum ponantur principia naturalia et finis naturalis sub quo omnia bona continentur, et ex amore talis finis Angelus incipiat, in eoque omnia quæ sub illo ordinantur, attingat, quia comprehensive procedit, et unica immobili attingentia, tam circa principia, quam circa conclusiones, fines, et media, inde fit, quod non possit omittere considerationem finis, et incipere ab aliquo bono contento sub tali fine, et illum sibi ut finem proponere, quia hoc esset invertere modum connaturalem procedendi, quod stare non potest, nisi aliquem defectum supponendo, ratione cujus id quod non est finis, accipiatur ut finis, quod esse non potest, nisi avertendo se ab aliquo fine, seu non subjiciendo se alteri fini, quam naturali, quia huic naturaliter adhæret, et non potest ab ipsius aversione incipere, cum sit necessitatus quoad specificationem ad ipsum. Itaque Angelus potest defectum considerationis pati, sed semper servando modum suum, qui est incipiendo ab aliquo fine, vel per conversionem, vel per aversionem: unde si a fine naturali avertitur, est ex altero fine a quo incipit, et ille non potest esse naturalis ipse finis, quia bonus est, nec aliquid contentum sub isto fine naturali, quia hoc non potest accipi ut finis invertendo connaturalem ordinem, nisi ex non subjectione ad alium finem cui deberet subjici, quod non stat nisi respectu finis supernaturalis: nam respectu naturalis per se subjicitur.

XXXIV. Ad ultimum dicitur, Angelum peccantem contra finem supernaturalem etiam violare legem naturalem, et illius malitiæ reum esse: hinc tamen non sumitur argumentum quod possit Angelus violare eandem legem naturalem stan-

do in mero statu naturali, sed ex motivo, et ordine aliquo ad supernaturalia, a quibus si avertitur, etiam ex consequenti averti potest a fine naturali, ut dictum est; et sic determinatus est ad finem naturalem quamdiu non ponitur alius finis ex cujus aversione possit etiam contra finem naturalem agere: si autem ponatur talis finis, cui Angelus naturaliter non sit subjectus, potest se ab illo avertere, et ex consequenti a fine naturali ut explicatum est.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti?

I. De facto Angelos non peccasse in primo instanti suæ creationis ita ut cum ipsa creatione sui esse nascerentur mali, omnino certum est, et oppositum judicatur ut erroneum, non solum si dicatur Angelum esse naturaliter malum, id est, ex natura sua, et non ex libero arbitrio, ita quod natura dæmonis mala fuerit, et a malo Deo creata, quæ est hæresis Manichæorum; sed etiam ponendo quod Angelus libero suo arbitrio fuerit malus in primo instanti, ita quod nunquam fuerit bonus: hoc enim etiam Scripturæ contrariatur, quæ docet dæmonem aliquando fuisse bonum, ut Ezechielis XXVIII, ubi dicitur de primo Angelo qui vocatur Cherub protegens: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: et Joan. VIII dicitur de diabolo, quod: *In veritate non stetit*: ergo supponitur aliquando in veritate fuisse. Et in canonica Judæ dicitur: *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in judicium magni diei sub caligine reservavit*. Ergo habue-